

Distantiæ autem Periheliæ æstimantur in ejusmodi partibus, quales mediæ distantæ terræ a sole habet centies millenas.

II. Epistola à *Joh. Jacobo Hubero* M. D.
ad *Cromwell Mortimerum* R. S. Secret. de
Cadavere aperto, in quo non extitit *Vesica*
fellea; et de *Sterno gibboso*.

Read April 6
1749.

NON sine aliquo literario munusculo ad te celeberr. *Mortimere*, ad re fas est, virum humanissimum quidem, sed eundem etiam talium rerum avidissimum, quibus a iqua pars illius cognitionis contineatur, in qua augenda et publicanda illustrissima Societas, cujus tibi acta commissâ sunt, elaborare solet. Superest, ut hic aliquid invenias ab illo instituto non abhorrens. Volui certe aliquem tibi gustum quasi dare, quid, præter scopum primum, fabricam corporis humani docendam Medicinæ, Chirurgiæ præsertim studiosos, spectare in quotidianis cadaverum humanorum sectionibus, in *Theatro C. llegii* apud nos *Carolini* institutis, consueverim, et cujus generis observationes expectari porro, ut in rebus humanis, a me possint.

Observationes autem e pluribus duas hic speciminis et gustus causâ breviter describam, unam quæ vitiatam, coque ipso singularem sistit partis corporis humani structuram, simulque usum arti salutarî præstare nonnullum videtur; alteram, quæ œconomîæ corporis nostri singularem præbet mechanismum, quo etiam physiologorum discrepantes de bile cystica sententiæ

rentiæ conciliari forte poterunt. Hepar hæc exhibet, vesiculæ felleæ penitus expers.

FEMINÆ cadaver erat, sexaginta circiter annorum, demonstrationibus anatomicis inserviturum, proximo anno in auditorium *Carolinum* inter plura alia allatum, in quo reperi magnum valde hepar, et præter morem crassum; sed lobum ejus dextrum parte concava omni carentem. Nullum nec sulci nec excavationis pro recipienda vesicula fellea offerebatur vestigium, sed universus lobus ille erat ab utraque parte, tam quæ intestina attingit, quam ab altera, quæ diaphragmati se accommodat, lævis, æqualis, atque in primis tumidus, utrimque convexus atque eminent, et quasi rotundus. Uti in hoc lobo, ita et in omni alia hepatis parte vesiculam felleam frustra quæsi: nec quidquam vicinæ partes referebant cum vesicula comparandum, aut condi bilis secundarii vices derangens; contra pro more partes reliquas omnes vidi formatas. Iste vero vesiculæ defectus ductus hepatici amplitudine, præter omnem consuetudinem magna, refarciri videbatur, quæ digitum minimum admittebat. Ille quamvis iusto, et suo loco constitutus, ordinariaque via incedens, in eo tamen erat structuræ singularis, quod tunica crassitie sua arteriarum tunicis fere esset æqualis: non illa tamen alba, sed tota quanta subætea, intus villosa, ex punctulis seu exilibus maculis, totidem, puto, folliculos simplices referentibus, non paucis notata. Ab hepate adusque duodenum eandem servabat ductus ille diametrum, sicque cum vena portarum fere confundebatur: ubi vero duodeni tuniceas attigerat, easque subierat, sepositum mox nimiam illam amplitudinem, et consuetæ papillæ, in duodeni cavo eminentis ministerio tam

quæsiit,

quæsit, et per omnem mulieris vitam, puto, habuit exonerationem. Pori in hepate biliarii, seu rami ductus illius magni conspiciebantur plures, ab utroque lobo confluentes, arteriarum in morem ampli valde, et ad ultimam fere hepatis peripheriam facile prosequendi, extus lutei omnes intus bile infarcti. Amarum sat continebant bilem, nec copia paucam ductus omnes, et præsertim magnus ille, extra hepar formatus. Illam ductus amplitudinem condi seu vesiculæ felleæ loco fuisse, arbitror, et illius usus, uti in eo in immensum distento bilis, in hepate secreta, nec omnis statim excernenda immorari commode posset, et ibidem mora sua reddi acrior; atque tunc demum, quando verum digestionis tempus ingruerat, evacuari copia et acrimonia præstantior. Præstare ut potuerit hæc ductuum amplitudo condi officium, adjuvabant porro folliculi simplices, per omnem ductus magni tunicam intus dispersi, blandum pro natura sua effundentes humorem, quo universus ductus ab acrimonia remanentis bilis defenderetur, sicque ibidem ad justum majoris evacuationis tempus servari superflua commode posset. Similem itaque structuram referebant ductus illi ampliores, qualis vesiculæ felleæ ordinatio esse solet.

Hoc exemplum, rarissimum quamvis de novo me declinat ab eorum physiologorum sententia, qua vel vesiculæ tribuitur structura propria, ad secernendam bilem suam apta, vel ductus assumuntur cyst-hepatici vel hepatico-cystici, et ita simplicis condi officium denuo adscribo vesiculæ felleæ, quod in dissertatione mea inaugurali jam monui.

Ob argumenti affinitatem hoc insuper hic addam; vidisse me Argentorati ante hos xv annos in recenti
cadavere

cadavere humano ductum cysticum atque cholodochum ita distentos, qui facile admitterent digitum. Calculis vero debebatur valida illa amplificatio haud paucis, in vesicula generatis. Aliquot eorum in ductu adhuc hærebant, nucis avellanæ magnitudinem æquant, molles tamen, et ductus se aliquo modo accommodantes. Erat autem ductus hepaticus de more constitutus.

ALTERA quam tecum, clarissime *Mortimere*, et si ita videatur, cum omnibus communicare placet, observatio de gibboso sterno agit, ab externa demum vi et incauta tractatione, non ab ipsa natura deformi configuratione producta. Non unica sed repetitis in diversis cadaverculis observationibus pectus perspexi præter omnem consuetudinem configuratum. Præ reliquis deforme erat pectus infantis octo hebdomadam, sequentem in modum: valde prominebat os pectoris gibbosum, quod ita a lateribus erat pressum, uti vix recederet a sellæ equinæ figura. Costarum supremarum duabus vel tribus exceptis, partes anteriores intropressæ conspiciebantur intra pectus ab utroque latere, plures tamen sinistri lateris quam dextri, ubi debiles sunt valde atque molles, et cum cartilaginibus sterni committuntur. Et in primis cartilagines excavatam extus referebant figuram. Atque ita fere diffractæ adparebant costarum aliquot. Una tamen præ altera exitibus intervallis erat magis intropressa. Aperto demum pectore plures vidi costas, cavum pectoris versus gibbosas; quarum cartilagine tuberculis suis quasi nodo æfactæ erant, ideoque non parum contulerunt ad angustandum præter morem pectoris cavum. Unde facile erit cuique ad intelligendam

inruntum

infantum phthisin, qua miseri illi ita deformati vitam amiserunt. Id porro pulmones, pleuræ circumcirca adnati atque infarci, quales tunc reperi, satis confirmarunt. Cogitando inquirens in magni vitii hujus, aliquoties jam in dissecandis infantibus a me observati, et quod in vivis etiam animadverti, causam, et sedulo contemplando pectus hocce deforme, atque comparando illud cum annotationibus meis, ex aliorum cadaverculorum similem in modum vitiatorum sectionibus desumptis, in veram tandem tantæ deformitatis et tam noxiæ causam incidi. Infantum scilicet curatricibus omnem hæc culpam, aio, esse adscribendam. Non satis enim cognita est iis structura tenellorum corpusculorum plastica: nec debite perpendicularis lusus omnes, quibus vel placare morosulos, aut gesticulatione vel saltatione exhilarare vivaciores infantulos conantur, unde diversas excogitant tractationes. Noxia præ aliis ea est, quando sinistrae manus suæ nates infantis imponunt, et antrorsum ita inclinatam paulum infantis truncum dextra sua, pectori applicata, expansis digitis sustinent, atque ita subinde miserum corpusculum in altum tollunt, atque deorsum labens illud pondus omne manu sustinent dextra. Eo enim haud raro fit, uti suffultæ manus vestigia tenello pectori, et vi facile cedenti imprimantur. Antequam in dictam mox deformitatis illius causam incidere, ad costarum foveas aliquot distinctas non attendi. Jam vero rite perpensis omnibus certo comperi, esse illas depressiones seu foveas quinque curatricis, seu magis deformatricis, digitorum vestigia, pectori infantis tandem impressa. Mea enim applicata pectori infantis manus dextra diductis paucillum digitis exactè respondebat depressionibus illis: quarum

quatuor

quatuor erant in sinistro pectore pro digitis, quinta vero eademque maxima dextrum deformabat pectus, pollicem recipiens. Quam itaque perversus sit ille, et detestandus tenellos infantes tractandi mos, satis ille frequens, ex supra dictis facile patebit, spero, cuique. Si vero ad illos perveniat hæc observatio, quod valde optarem, qui infantum curas gerunt, plures, puto, a vitio illo immunes præstari in posterum poterunt homines, ne prima ætate male tractati hoc vel alio modo non minus cauto, vel defigurentur; vel et tabe, vel alio morbo inde orto consumantur. Simillimam narratæ observationem feci nupera hyeme in puella duorum annorum. Et uti jam monui in vivis etiam corporibus animadverti similia. Cum *Rachitide* cæteroquin minime confundenda est deformitas ista.

Dabam Cassellis Jan. 31.
1747.

Joh. Jac. Huber.

III. *The Operation of Lithotomy on Women,* *by Mons. le Cat. M.D. & F.R.S.*

Translated from the French by T. S.

Read April 6.
1749.

THE lateral Way of cutting for the Stone, which I have used on Men since 1732, naturally led me, in the Year 1735, to cut the Widow *Neel*, a Farmer near *Yvetot* in the *Pais de Caux* in the same manner, as has been seen in the Observation. In this Operation the common grooved Staff served me as a Director; and having

N

made